

Ob 12



# INDEX LECTIÖNUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCXLIX — L A DIE XV OCTOBris

INSTITUENDARUM.

---

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNIANIS.



# INDeks MIEjski

ROZWIĘZKI DLA WYDANIA MIESZCZERSKIEGO

WYDANIA MIESZCZERSKIEGO

WYDANIA MIESZCZERSKIEGO

KSIĄŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU



AB 1472

**LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS**

**RECTOR ET SENATUS**

**CIVIBUS SUIS**

**S.**

**A** pud omnes populos antiquos quo difficilior aditus ad terras remotiores erat, eo magis ii, quibus contigerat longinas peregrinationes terra marive perficere, in honore erant, avidissimisque auribus narrationes eorum excipiebantur. Auditores vero quum animi potius oblectationem quam justam rerum notitiam expeterent, ficta et fabulosa, dum placerent, cupidius etiam quum vera amplectebantur. Inde colligere possumus quanto favore Graeci Homeri Odysseam, tum Herodoti Ctesiaeque narrationes multaque aliorum scriptorum figmenta ex eo genere, quod Lucianus in Verae Historiae libris duobus faceta imitatione irridet, prosecuti sint.

Consentaneum autem est poetas, quum res prodigiosas narraturi sunt, remotissimas quasque ignotissimasque regiones eligere, quas nemine refellente quibuscumque libet miraculis exornent. De Thrinacia sane, de Aeolia insula, de Oceani ora tuto licebat fingere: sed mira quadam audacia usus esse videtur poeta qui de Scheria et de Phaeacibus tanta portenta comminisci non sit veritus. Id enim nemo unquam ex antiquis scriptoribus dubitavit, quin Phaeacum sedes in Corcyra insula, brevissimo spatio a Graeciae oris disjuncta, positae fuerint. Nam Thucydides I, 25 gloriante facit Corcyraeos quod genus a Phaeacibus ducerent, qui re maritima olim praecipue floruisse, et III, 30 testatur suis etiam temporibus lucum Alcinoe sacrum in insula fuisse.\*). Praeterea Plinius H. N. 12, 19 diserte dicit, Corcyram Homero dictam esse Scheriam et Phaeaciam, Callimacho etiam Drepanen.

\*) Adde si vis Invenalis locum XV, 24 ubi inter Alcinoi convivas unus singitur „nondum ebris et minimum qui de Corcyraea temetum duxerat urna.“ Apud Martialem XIII, 37 horti Corcyraei, i.e. Alcinoi horti, cum Hesperidum insulis componuntur. Quae loca ideo adscripti ut appareat quam constans omnium autorum persuasio de Scheria fuerit.

Quid igitur in causa fuit cur Homerus, qui in Ithacae descriptione veram naturae effigiem tam presso pede sequitur, de propinqua Phaeacum insula tanta miracula promere sustinuerit?

Haec quaestio jam scholiistarum animos movisse videtur: nam Eustathius (ad Od. VI, 8. XIII, 113 et passim) de *ἐπτοπισμῷ* quodam loquitur, quo callide Homerus usus sit, ne auditores reprehenderent Ulyssem in tam vicina insula moratum esse, eademque de causa poetam contendit Coreyrae nomine notissimo abstinuisse, Scheriamque dicere maluisse. Sed tam frivolum artificium quis non indignum tanto poeta esse fateatur? Quid opus erat Ulyssem in Coreyram deducere, eademque opera nomen insulae dissimulare, quum in Homeri potestate esset eum in quacumque libebat loca Graecis plane ignota transferre, quae multo probabiliorem figmentorum materiem praebuissent?

Neque melius Heraclides Ponticus in scholiis ab A. Majo et deinde a Buttmanno editis ad Od. XIII, 119 nodum expedivit. Is enim astutum Phaeacum consilium miratur qui, quum ignorari a ceteris mortalibus vellent, consulto navigationem ita instituerint ut dormiens Ulysses ad Ithacam appelleret, nesciretque quantum itineris permensus esset. Nulla enim unquam gens tot naves tamque egregias, quales Homerus Phaeacibus tribuit, ideo comparavit ut seclusa a genere humano degeret nulloque utili commercio cum vicinis jungeretur.

Dubitari sane non potest quin omnes Homeri auditores probe intellexerint, Scheriam insulam esse e regione Epiri sitam, eandem quae postea mutato nomine Coreyra vocata est.

Non igitur in illo nescio quo *ἐπτοπισμῷ* causa rei posita esse potest, sed repetenda mihi quidem ex alio loco Od. XIII, 125 sqq. esse videtur. Ibi Neptunus, Ulyssis in patriam redditum aegre ferens, Phaeacum navem ex Ithaca reducem in ipso Scheriae portu in saxum convertit sicque portus ostium obstruit: praeterea magno monte objecto aditum ad insulam, vel saltem ad eam insulae partem in qua Alcinoi regia sita erat, intercludit.

Homerus igitur statuit (verene an falso, nihil refert) priorem insulae ambitum vetustioremque portum, eo tempore, quod inter bellum Trojanum ipsiusque tempora interpositum est, magnam mutationem subivisse: id quod sane terrae motu factum esse potest. Inde autem id commodum consecutus est, ut de Phaeacum gente tanta prodigia securus narrare posset: sciebant enim auditores, vel certe credebant, veterem insulae naturam repentina aliquo casu in deterius mutatam esse, ideoque facile patiebantur poetam priorem insulae statum multo feliciorem quam postmodo erat fingere.

# LECTIONES.

## A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANT. EICHHORN, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi narrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IX—X.
- II. Antiquitates ecclesiasticas docebit diebus Lunae et Jovis h. III—IV.

PETR. THEOD. SCHWANN, DR. P. P. O.

- I. Introductionem in universam theologiam tradet diebus Lunae, Martis et Jovis h. VI—VII.
- II. Theologiam dogmaticam docere perget diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X—XI.
- III. De statu hominis post mortem disseret d. Veneris h. VI—VII.

FRANCISCUS BITTNER, DR. P. P. O.

- I. Theologiae moralis repetitiones instituet diebus Lunae, Mercurii et Veneris hor. VIII—IX.
- II. Actus SS. Apostolorum interpretabitur excepto Sabbato quotidie hor. XI—XII.

MICH. JOS. KRÜGER, LIC. P. P. E.

- I. Introductionem generalem in utriusque testamenti libros sacros, nec non principia artis criticae et hermeneuticae biblicae proponet diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora X—XI.
- II. Epistolas catholicas explicabit diebus Martis, Jovis et Saturni hora VIII—IX.
- III. Librum Josuae explicabit diebus Mercurii et Veneris hora III—IV.

## B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. RECTOR ET DECANUS.

- I. Historiam et naturam disciplinarum mathematicarum inde ab antiquo aevo, usque ad nostra tempora adumbrabit, et capita selecta geometriae analytiae exponet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
- II. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro; Sniadecki's sphaerische Trigonometrie etc. übersetzt von L. Feldt tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
- III. Physicen experimentalem docebit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Martis et Veneris h. XI—XII.
- IV. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Mercurii et Veneris hora II—III.

CAR. BIESTER, P. P. O. DES.

- I. Thucydidem de bello Peloponnesiaco interpretabitur diebus Lunae et Jovis hora X—XI.
- II. Taciti historias tractabit diebus Martis, Mercurii et Joyis hora II—III.
- III. Suetonium interpretabitur diebus Martis et Veneris X—XI.
- IV. Collegium stylisticum practicum habebit diebus Lunae et Veneris hora II—III.

MAX. TRUETSCHEL, DR. P. P. E.

- I. Psychologiam empiricam docebit quinques per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Joyis, Veneris hora matutina VIII—IX.
- II. Logicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Joyis, hora vespertina V—VI.
- III. Libros praecipuos Metaphysicae Aristoteleae offert interpretandos diebus et horis adhuc definiendis.
- IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet die Saturni hora matutina VIII—IX.

CAR. CORNELIUS.

- I. Historiam nostri seculi quater per hebdomadem.
- II. De Dante Alleghero Florentino bis per hebdomadem.

## **STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.**

**Quaestio a Lyceo Regio Hosiano ad certamen litterarium anni MDCCCXLIX—L  
proposita:**

„S. Johannes Chrysostomus ex suis scriptis tamquam eloquentiae Christianae exemplar describatur.“

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum erit d. 1. Jul. MDCCCL.

# ORDO LECTIONUM CHRONOLOGICUS.

## I. LECTINES ANTEMERIDIANAE.

HORA.	LECTINES THEOLOGICAE.	LECTINES PHILOSOPHICAE.
VIII—IX.	Theologiae Moralis repetitiones, Dr. BITTNER 3. Epistol. catholic., Lic. KRÜGER 3.	Psychologia empirica, Dr. TRÜTSCEHL 5. Exercitationes repetit. et examinat. Dr. TRÜTSCHEL 1.
IX—X.	Historia ecclesiastica, Dr. EICHHORN 5. Antiquitates ecclesiasticae, Dr. EICHHORN 1.	
X—XI.	Theologia dogmatica, Dr. SCHWANN 4. Introduct. general. in utriusque testamenti libros, Lic. KRÜGER 3.	Thucydides de bello Peloponnes., BIESTER 2. Suetonius, BIESTER 2.
XI—XII.	Actus Apostolorum, Dr. BITTNER 5.	Historia et natura disciplinarum mathematicarum etc. Dr. FELDT 2. Physica experiment. et conversatorium, Dr. FELDT 2.

## II. LECTINES POMERIDIANAE.

II—III.		Trigonometria geographica, Dr. FELDT, 2. Astronomiae elementa, Dr. FELDT 2. Taciti historiae, BIESTER 3. Collegium stylisticum practicum, BIESTER 2.
III—IV.	Antiquitates ecclesiastic. Dr. EICHHORN 2. Liber Josuae, Lic. KRÜGER 2.	
V—VI.		Logica, Dr. TRÜTSCHEL 4.
VI—VII.	Introductio in universam theol. Dr. SCHWANN 3. De statu hominis post mortem. Dr. SCHWANN 1.	
Adhuc definienda.		Historia nostri seculi, CORNELIUS 4. De Dante Allegherio Florent. CORNELIUS 2. Libr. praecip. Metaphysicae Aristoteleae, Dr. TRÜTSCHEL.

Stadtbibliothek Lübeck